


Dissertatio Theologica De Unico SS. Theologiæ Principio, Quod Est S. Scriptura Canonica

Gissæ-Hassorum: Excud. Joh. Reinhardus Vulpius, [1706?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862094453>

Druck Freier  Zugang





53

Fa-1092(53)

No. 7.

I. N. D. N. J. G.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

UNICO SS.

THEOLOGICÆ PRINCIPIO,

QUOD EST

SCRIPTURA CANONICA.

QUAM

DIVINO SPIRITVS S. ADIVMENTO,

PRÆSIDE

DN. JOH. HENR. MAJO,

SS. THEOL. D. EJUSDE ET LL. ORI-

ENT. PROF. ORD. IN ALMA LUDOVIC.

CONSIST. ASSESSOR. GRAVISS. STIPEND. EPHOR.

PÆDAG. ET DISTR. ALSF. AC MARB.

SUPERINT. MERITISSIMO,

DN. PATRONO ET FAVTORE

SYMMA OBSERVANTIA DEVENERANDO,

IN AUDITORIO THEOLOGICO

PUBLICE DEFENDET.

AD D. NOVEMBR. M. DCCVI.


AUTOR

JOH. CONRAD. CREUZERUS,

MARBURGENS.

GISSÆ-HASSORUM,

Excud. JOH. REINHARDUS VULPIUS, Acad. Typogr.



SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE,
PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

CAROLO,

HASSIÆ LANDGRAVIO,
PRINCIPI HERSFELDÆ, CO-
MITI CATTIMELIBOCI, DEC. ZIEGEN-
HAINÆ, NIDDÆ ATQUE SCHAUM-
BURGI, ET RELIQUA.

PATRIÆ PATRI EXOPTATISSIMO,
S. ROM. IMPER. FVLERO FIRMISSIMO,

PRINCIPI AC DOMINO SUO
LONGE CLEMENTISSIMO.

*Hæc Studiorum Sacrorum Primitias, a lin. ea,
qua de cet pietate & cultu humilimo,*

Dicat consecratque

AUTOR.

SERENISSIME AC POTENTISSIME
PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME!

Nisi cognita satis Tua, SE-
RENISSIME PRIN-
CEPS, per Hassiam uni-
versam, inusitata clementia esset,
qua tenuis quoque fortunæ homi-
nes, ac cum primis Cives Tuos pro-
sequeris, nunquam profecto ausus
fuissem inter tot tamque gloriosas
expe-

expeditiones bellicas, quas pro
Imperii salute suscepisti & adhuc
indies fere sustines, Augusto No-
mini Tuo præsentis schedas in-
scribere, eoutique indignas. Ve-
rum, quia inter externos etiam pa-
terne respicis subditos sorte na-
scendi & parendi tuos totos, hæc
me spes solatur, fore, ut non pror-
sus despicias exile studiorum meo-
rum specimen, quo testari cupio
cultum PATRI PATRI. Æ de-
bitum, & preces præsertim assi-
duas, quas pro Tua & Totius Has-
siacæ Domus incolumitate & in-
cremento perpetuo ad DEUM
T.O.M.

*T. O. M. pro eo, ac de beo, supplex
fundo. Suscipe igitur HEROS,
in Toga & Sago Celsissime, Cli-
entem & Servum Tibi subje-
ctissimum, ejusque vel reveren-
tiam vel fiduciam, pro Clementia
Principali, sic interpretare, ut con-
fidentior ardentiorq; fiat in Nu-
mine Tuo colendo, ac magis magisq;
excitetur ad servitium Ecclesie
fidele aliquando in ditionib⁹ Tuis,
Deo bene adjuvante, & Tua Gra-
tia opitulante, pro concessis donis
atq; viribus, prestandum.*

SERENITATIS TUÆ

subjectissimus servus
JO. CONRAD. CREUZER,
Marburgensis.



יהוה אלהים
: וְהוֹדוּ



Remadmodum Philosophus non nisi ratione, iure-Consultus non nisi lege subnititur, & uterque sine utraque aliquid dicere erubescit: ita & Theologus non nisi Sacra Scriptura Canonica subnitatur, nihilque nisi λόγια & Θεω loquatur, 1. Pet. 4, 10. Act. 26, 22. veluti Divus Paulus coram Agrippa testabatur, nihil se loqui extra Mosen & Prophetas. Ideo perquam necessum est, quemvis Theologum ante omnia HOC de PRINCIPIO suo dispicere, idque in arce collocare, quo hoc ipsum sua consistat firmitate solida atque immota; quia alioquin, eo neglecto, frustra omnis impenditur ipsius opera. Cum igitur presentem hanc Exercitationem Theologicam speciminis studii mei sacri publice habere constituerim, de Primo & Unico S. S. Theologiae Principio disserere placuit. Ab hoc enim Theologus incipit, in hoc proficit, ex hoc solo perficit. Instituti mei ratio autem non est, naturam Theologiae aut S. Scripturae absolute & in se, verum relate utramque considerare, huncque respectum, quem S. Scriptura ut principium unicum aut adequatum ad S. S. Theologiam, tanquam unicum & adequatum suum principiatum, habet, ostendere & defendere. Faxit Christus Iesus, qui A. & O. S. Scripturae primum fiendi & essendi principium, ut & S. S. Theologia, fidei nostrae salvifica unicus inceptor, promotor & perfectior est, ut hic praesens conatus meus, qui unice in ipsius sanctissimi & gloriosissimi nominis gloriam, veritatis stabilimentum, & in Ecclesia utilitatem collimat, hoc ipsum assequatur, Amen.

THESIS.



THESIS.

Principium cognoscendi incomplexum, unicum & adæquatum S.S. Theologia est verbum Dei scriptum, è quo solo cuncta fidei dogmata demonstranda & deducenda sunt.

ΕΚΘΕΣΙΣ


§. I.

TRia hic potissimum inducenda sunt, utpote verbum Dei scriptum sive sacram Scripturam S. S. Theologiæ principium cognoscendi, (2.) incomplexum, (3.) unicum & adæquatum esse.

§. II.

Cum vero nonnulli termini technici in hac thesi, nostra occurrant, operæ pretium forte erit, in antecessum paucis genuinum eorundem præmittere vel repetere significatum; ne quis in vocabulorum lusu erroris sui patrocinium & asyllum quærat, & in λογμαχίαν degeneret seria disputatio.

§. III.



§. III.

Principii vox connotat respectum ad principatum: hoc tot modis sumitur, ac illud. Est autem principium triplex, *fiendi, essendi & cognoscendi*, cujus explicatio penes quemvis Philosophum, applicatio vero apud *B. D. Koenigium* in Theolog. posit. acrom. p. 5. b. obvia est. Præ cæteris principium cognoscendi hîc consideratur, quod vulgo dicitur, unde res in cognoscendo dependet, cujus correlatum sive principiatum non est res ipsa, prout respectu principii fiendi & essendi, sed potius rei ipsius cognitio. Ejus *principiatum* in scientiis nihil aliud est, quam conclusiones, quæ ex illo inferuntur. Hinc in quavis scientia *principium cognoscendi* dicitur id, ex quo cognitio infertur & cognoscitur conclusio; Et *primum cognoscendi principium* dicitur, ex quo primo & ex se cognito, conclusiones omnes, quæ sub illius scientiæ considerationem cadunt, ultimò inferuntur & cognoscuntur, ità ut in eo, ex se cognito, cognitio intellectus sistat, nec ad aliud prius principium, ex quo & ipsum cognoscatur, progredi ei liceat. Et tale est ipsa sacra Scriptura, quoties in respectu ad Theologiam consideratur. Vid *Jo. Musæum* in Introd. in Theolog. p. 222.

§. IV.

Hoc autem principium cognoscendi *incomplexum & complexum* est. Incomplexum est terminus vel res aliqua, quatenus ex ea aliquid cognoscitur: sic medius terminus in syllogismo est principium incomplexum, ex quo cognoscitur conclusio, quod vera sit, e. gr. ex hoc medio termino syllogismi: *anima intelligente præditum esse, cognoso, aliquid esse hominem.* Principium verò

B

cogno-

complexum est integra propositio, quatenus ex ea aliquid cognoscitur, e. gr. cum ex hac propositione: *Homo est anima intelligente praeclitus*, cognoscitur hæc conclusio: *Homo est capax scientiæ*. Sic *Scriptura S.* quatenus sumitur pro medio termino in discursu theologico, est *principium* in Theologia *incomplexum*: quatenus a. *Scriptura S.* sumitur pro ipsis libris canonicis, in quibus dicta divinitus inspirata continentur, eatenus dicitur *principium*, quatenus dicta & propositiones, ex quibus conclusiones Theologicae deducuntur & cognoscuntur, in se continent. Quo sensu, juxta communem loquendi consuetudinem *Scriptura S.* Theologiae *principium* vocatur; non statim tamen propterea cum hoc addimento *complexum* *principium* dicendum est. Nam *complexum* idque *primum* Theologiae *principium* cognoscendi est hæc propositio: *Quicquid S. Scriptura tradit, indubitato verum est*, in hoc enim omnis tandem discursus Theologicus resolvitur. Hæc sunt ipsa B. D. Reckmanni verba, quæ non sine causa ab eo mutari volui, quo non tantum genuinam hujus divisionis quoad suas species definitionem, verum etiam ejusdem accuratam applicationem ostenderem, & sic rei veritatem unà cum autoritate tanti olim in Ecclesia nostra Theologi jungerem. Videsis ejus annot. in Hüttereri Comp. p. m. 9. & confer. Colleg. Polem. p. m. 15. 16. ut & Joh. Musæi, Theol. acutissimi libr. de usu princip. p. m. 436 nec non Quensted. didact. pol. de Theol. principio. 33. ubi hæc leges verba: *Sola S. Scriptura canonica est principium Theol. incomplexum*, utpote ex qua sola dogmata fidei probanda & deducenda; *Complexum* verò est hæc propositio: *Quicquid S. Scriptura dicit, infallibiliter verum, reverenter credendum & ample-*

plectendum est. Add. *Valent. Velth. Metaph. de princip.*
p. m. 517. & seq.

§. V.

Verum excipiat quis: Sacra Scriptura, cum non *Exceptio.*
terminus simplex, verum compositus sive complexus sit,
hanc ob rem *principium* quoque *complexum* audit. At *Responsa.*
neutiquam hoc sequitur: nam *principium complexum*,
prout ostensum, oportet esse integram propositionem.
Nec obstat hic vocum complexus sive compositio; li-
cet etiam voces complexæ numerum ultra denarium ac-
crescant, exinde tamen hoc non fluit, quod tales voces
grammaticè complexæ constituant *principium* aliquod
complexum, quod Logicam aliquam combinationem
postulat, quæ sit vigore copulæ est; unde fit, ut in tali ora-
tione logica semper aliquid vel affirmetur vel negetur.
Videsis *B. Ebelium*, qui Gieslæ quondam Christianus ex-
stitit Aristoteles, cujus hæc sunt verba in *Philos. Uni-*
vers. disput. 3. sect. 1. art. 1. p. m. 37. Principia sunt vel
complexa, vel incomplexa: hæc dicuntur, quæ sunt principis
vel cause essendi & terminus medius in demonstratione,
quale etiam definitio, quæ etsi sit quiddam complexum, ab-
solutè constat ex pluribus terminis, tamen non est princi-
pium complexum, quia non est integra propositio. Eadem
sunt verba *B. Velth. Theol. & Phil. accurati vel supr. cit.*
Non statim omne principium cognoscendi, quod est com-
plexum quid, ideo est principium cognoscendi complexum:
ita e. gr. quando medii termini loco in syllogismo ponitur de-
finitio, & majoris termini loco definitum, sic sane definitio
& principium cognoscendi utpote medii loco posita, & est
complexum quid, nec tamen est principium complexum,
quia non est integra propositio, sed extremum propositionis.

B 2

Magna

4

Magna ideo est differentia inter terminum complexum & principium complexum, ab illo ad hoc N. V. C. Itidem inter terminum complexum voce tantum & terminum significatione complexum. e. gr. *animal rationale* est quidem terminus voce complexus, minimè verò significatione talis. Vid. B. D. Rudrauff. instit. Log. c. 2. p. 16. par sic ratio est cum Sacra Scriptura.

§. VI.

Excepr. II.

Respons.

Porro, quis instet: S. Scriptura, etsi non ipsa sit propositio, continet nihilominus multas conclusiones Theologicas actu in se, ob quas, necessum est, audiat principium complexum. At hoc sciendum, denominari aliquid bifarium, vel *proprie*, vel *improprie*; *proprie*, cum res aliqua de sua essentia sive ex definitione denominatur; *improprie*, quando res vel ab effectu, vel affectione, vel circumstantia quadam denominatur, v. gr. si quis monstrato medicamento ad agrotum diceret, hoc est sanitas, sanitatem tibi offero, is procul omni dubio prædicatione seu denominatione impropria uteretur; aut si continens à contento suo denominationem accipit, Metonymica & impropria est, e. gr. Saccus triticum seu aliud quoddam in se continens frumentum, *proprie* & sui respectu consideratur, ens per se dicitur, at granorum respectu triticorum, sui scilicet contenti, Ens per accidens. Unde aliud est *querere*: An S. Scriptura *proprie*, *accurate* & *in se* considerata, prout terminus logicus est, qui in enunciatione quadam vel subjecti vel prædicati vices subit, dicenda sit *principium cognoscendi incomplexum aut complexum*? Jam prius nemo, nisi affectata sit ignorantia, infirmabitur, bene verò pōsterior. Et aliud est *querere*. An verbum

bum Dei *metonymicè* sumtum principium vocari possit
complexum ? quod ambabus largior manibus. Quo & illi
 omnes collimare videntur, qui S. Scripturam, Philoso-
 phorum jurisprudentiam &c. *principia complexa* vocant.
 Verùm enim verò hanc *ἀκρολογίαν* supra §. 4. D. Bechman-
 nusevitat, ubi mavult principium *præcise* dictum in tali
 significato improprio appellare, quam *determinate* com-
 plexum audire. Hinc in Theol. sua pol. c. i. hac de re val-
 de perspicue est, & S. Scripturam in hoc improprio si-
 gnificato neutrum, nec incomplexum, nec complexum,
 vocat, verùm ab utroque præcindit & tertio modo su-
 mit; *potest autem*, inquit, *tribus modis sumi principium*
cognoscendi: cum queritur de Theologia principio. (1.) *enim*
per principium cognoscendi, intelligi potest medius terminus in
sylogismo, quæ Theologia format & hoc solet dici principium
incomplexum. (2.) *Intelligi potest per principium inte-*
gra propositio, quæ utitur Theologia in sylogismo tanquam
præmissa ad inferendam conclusionem, & dicitur principium
complexum. (3.) *Per Theologia principium nonnunquam in-*
telligitur id, quod cujusque conclusionis Theologica princi-
piæ actu in se continet. Quæ *ἀκρολογία* tanti Viri maximo-
 pere est laudanda præ aliorum *ἀκρολογίαι*, qui sæpissime
 ob nullam causam aliam in terminis ancipites saltant,
 quam ut vel ignorantiaæ asyllum quærant, vel plures
λογιαρχίας & inanes controversias excitent, qui sunt hæc
 Philosophorum lege stringendi, terminus in disciplina va-
 let uti numerus in Politia.

§ VII.

De principio unico & adæquato sciendum est,

B 3 sumi

4

sumi id vel *in respectu ad incomplexum, vel ad complexum,*
hoc modo principium adæquatum tale dicitur, quod in
discursu conclusionem tanquam principiatum suum uni-
cè & adæquatè infert, & nihil aliud est, quam ambæ præ-
missæ junctim sumtæ, quarum alterutra tantum & seor-
sim sumta, respectu conclusionis in syllogismo principium
cognoscendi inadæquatum dicitur. Illo modo, quo nunc
unicum & adæquatum intelligimus, itidem diversus ori-
ri potest sensus, si scilicet S. Scripturam ut revelationem
divinam vel materialiter vel formaliter concipimus. Re-
velatio div. ex parte sui materialis, nempe ex parte si-
gnorum, quibus quæ nosse nostræ interest salutis, po-
tentia cognoscendi repræsentantur; vel ex parte formalis
sui, sensus scilicet rerumque revelatarum. Quando di-
cimus revelationem div. fuisse olim variam & multipli-
ceam, potissimum id intellectum volumus de revelatione,
ex parte materialis spectata. Signa enim, & hinc nati
revelationum modi plures DEO olim in usu fuerunt,
juxta illud Ebr. I. V. I. πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως multifariam,
vel ut Beza reddit, multis vicibus, multisque modis Deus
olim locutus est Patribus. Ex parte formalis autem & re-
rum revelatarum in substantialibus quidem, & quæ ipsum
salutis fundamentum concernunt, semper eadem fuit,
cœpitque statim post lapsum in protevangelio de semine
mulieris, caput serpentis contrituro, primis nostris Pa-
rentibus à Deo patefacto. Ratione claritatis autem &
notitiæ distinctioris, itemque ratione aliarum doctrinæ
partium, circumstantiarum, & ceremoniarum, revela-
tio divina etiam ex parte sui formalis, temporis progres-
su, sua sumsit incrementa. Quemadmodum autem re-
velatio divina varia & multiplex olim fuit, neque omni
tempore

tempore tota, ita nec Theologiae principium d. m. pro
 quovis temporis statu, cognoscendi Unum & adaequa-
 tum fuit, veluti hodiernum est tale.

ΒΕΒΑΙΩΣΙΣ.

§. I.

His ob controversiae momentum praemissis, no-
 stram sententiam membrotenus certis corrobore argu-
 mentis: Cuiuscunque vera definitio omniaque requisita (1)
 principii cognoscendi, (2.) incomplexi (3) unici & adae-
 quati conveniunt, id ipsum est quoque principium S. S.
 Theologiae incomplexum, unicum & adaequatum. Jam ve-
 ro S. Scripturae vera definitio omniaque requisita principii
 cognoscendi, incomplexi, unici & adaequati conveniunt.
 Ergo S. Scriptura est quoque principium cognoscendi incom-
 plexum, unicum & adaequatum. Major sua veritatis lu-
 ce cuiusvis in oculos splendet. Minoris valor si cui invali-
 da ea videtur, is tentet (α) ex genuina definitione (α)
 principii cognoscendi, (β) incomplexi (3) unici & adae-
 quati, Annon ex S. Scriptura vera & salutaris Theolo-
 gia in esse suo cognito procedat? Annon S. Scriptura me-
 dii termini vices aliqua in enuntiatione subeat & termi-
 nus simplex (logice) sit? An non unicum & adaequatum
 illud Salutis nostrae fundamentum & principium sit, quod
 aliud ullum a suo latere una stare minime patitur. Hoc
 unicum omnes jubemur scrutari, inque salutari huius
 unius scrutinio vitam assequimur aeternam, Joh. V. v.
 37. (γ) Omnia principii cognoscendi incomplexi &
 adaequati requisita ei conveniunt, quippe quae sunt: Esse
 απρόπτον & άμειστον, άληθές, άνυπαύδουτον, άυτόπιστον &c. primum &
 immediatum, verum, infallibile, per se fide dignum &c.
 Ergo,

Βεβαίω-
 σις.
 argumen-
 tum gene-
 rale.

4

Ergo Sacra Scriptura est principium cognoscendi incom-
plexum, unicum & adæquatum.

§. II.

Principium cognoscendi Theologiæ S. Scripturam
esse, sic arguo: Unde perfecta & salutaris Theologia &
Christiana religio potest cognosci; id ipsum ejusdem co-
gnoscendi principium est. Atqui ex S. Scriptura perfe-
cta & salutaris Theologia & Christiana religio cognosci
potest. Ergo. Major claret ex vera principii cognof-
cendi definitione, de qua supra Minor vera est ob
veram ante dictam principii cognoscendi, quæ S. Scri-
pturæ est, convenientiam.

§. III.

Principium incomplexum esse sic arguo: Si Scri-
ptura S. est principium Theologiæ vere & proprie di-
ctum, quod in discursu aut medius terminus aut integra
propositio est, tum aut incomplexum aut complexum
erit. Si prius, habeo quod posco? sin posterius, quæ-
ro, ubi, quæso, habet sua incomplexa? nullum, ut con-
stat, complexum sine incomplexis, ad minimum duo-
bus, consistere potest. Quod verò propriè dictum co-
gnoscendi principium est, nec in incomplexa resolvi
potest, e quibus aliàs constare oportet; illud principium
cognoscendi complexum nunquam dicitur, e contrario
autem incomplexum non potest non esse. At fortassis
non nemo excipiat: adesse duo incomplexa, videlicet
scriptura & sacra, sed nugæ! contrarium ad oculum
monstrabo, si principium complexum per integram pro-
positionem, ut decet, mecum definis; cum igitur S. Scri-
ptura non sit integra propositio; Ergo nec complexum,
& nos

& nos invicem consentimus. Si vero principium complexum proprie dictum sic definire mavis: *Quod est id quod continet in se multas propositiones*, tum profecto in foveam incidis, quoniam id ipsum Scripturæ quoque competit. Et sic juxta te itidem non principium incomplexum sed complexum esset, sicque tibi ipsi repugnas. Insuper hæc definitio etsi suo modo toleranda, nulli tamen convenit principio proprie dicto, incomplexo scilicet & complexo, sed tertio alicui, quod præscindit ab utroque, uti jam ex cit. *B. Bechm. Th. Pol.* monstratum fuit. Ad hæc, si S. Scriptura tibi principium complexum est, velim mihi dicas, quale hoc sit cognoscendi principium Theologiæ: *Quicquid S. Scriptura dicit, illud indubitato verum est.* Hoc tibi nec est incomplexum, nec complexum, ergo nullum, quia tertium *strictè* dictum non habes. Quod vero dictu absonum est, omnium doctorum consensu.

§. IV.

Unicum & adæquatum esse pariter arguo: Ad quod *Tertium* omnes unice legendum & scrutandum remittimur, è quo solo fidei Christianæ Mysteria innotescunt, quod adeo perfectum est, ut ei nihil addendum aut demendum sit, illud est unicum & adæquatum Theologiæ principium. Jam vero verbum Dei scriptum est id, ad quod in salutari fidei Christianæ cognitione unice legendum & scrutandum à Christo remittimur Joh. V. 39. Esa. VIII. 20. Luc. XVI. 29. & adeo perfectum, ut nihil addendum nec demendum, Deut. IV. 26. Apoc. XXII. v. 19. seqq. Verum excipiat quis: in his cit. dictis non adjici exclusivam *unicè, solum, tantum &c.* e. gr. *solum Dei verbum scriptum*
C
scruta-

4

scrutandum, sola lex div. audienda &c. inde minorem esse falsam. *re.* Licet hæc excludendi voculæ non adsint *formaliter*, sufficit adesse eas *virtualiter*, sive licet non extant *expresse*, sufficit adesse *suppresse & implicite*. Si enim ille, qui S. Scripturam scrutatur, in salutarem Theologiae cognitionem, vigore promissi divini, ducitur & vitam æternam assequitur; utique è contrario, qui aliud ul- lum, ad quod à Salvatore suo non est remissus, principium agnoscit; a regia vitæ æternæ via exorbitabit. Quid quæso, hoc aliud est, quàm quod sola sacra Scriptura sit scrutanda? Pariter se res cum cæteris dictis habet. Itidem è solo Dei verbo scripto Mysteria Christianæ fidei nobis innotescunt Matth. XVI. 17. ubi neque vocula exclusiva sola reperitur *expresse*, veruntamen nihil facilius elici & addi potest & debet eâ. Plura hac de re qui cupit videat Biblia *Lutheri* vindicata à Job. Musæo contra Eberm. Dissert. apol. 2. per tot. (2.) Excipiunt Pontificii; sermonem esse iis in dictis Deut. IV. 26. Apoc. XX. 29. seqq. de verbo Dei viva voce tradito, ut vult *Bellarmin.* lib. IV. de V. D. scripto c. 10. sed pariter hæc exceptio hic locum non invenit, siquidem eo de verbo c. 1. sermo est, quod viri *deorum* prius viva voce tradiderunt & postmodum literis signarunt. Ergo stat conclusio nostra inconcussa, S. Scripturam esse unicum & adæquatum S. S. Theologiæ principium.

ANTITHESIS.

§. I.

His ita expeditis, jam facile erit judicare, quid de hac sequente Quæstione sit statuendum?

Num

*Num Consensus Patrum quinesecularis
aque ac Scriptura S. S. Theologia princi-
pium sit ?*

Cum enim de hoc Patrum consensu ejusque in hodi-
erna Ecclesia autoritate haectenus Nostrates tam cum
Pontificiis quam cum aliquot Nostratum inter se conten-
tionis seram reciprocant, placet aliquid distincti hac
de controversia hic ponere, ac primo ejus indagare ortum,
dein formare quaestionis statum, denique quaestionis mo-
mentum indubitatis confirmare argumentis,

§. II.

Primus, qui hac de re controvertendi ansam dedit
fuit *Vincentius*, natione Gallus, natus quippe Tulli Leu-
corum in prima Belgica, primo militiam secularem secta-
tus, deinde Monachus & Presbyter factus cœnobii in
in Insula Lyria, condidit eximium libellum adversus hæ-
reses sub nomine *Peregrini*, qui hodie sub hoc titulo ex-
stat: *Commonitorium Vincentii Livinensis natione Galli pro
fidei catholica antiquitate & universitate adversus profa-
nas omnium heresum novitates.* Commonitorium vo-
catur, quod in eo à Majoribus tradita apud Ecclesiam de-
posita referantur, quæ si forte aliqua ex parte memoria
excident, hic liber oblivionis ejus debeat esse commo-
nitorium. *Stephan. Baluzius* Not. ad hunc libellum p. m.
279. edit. Cantabrig. scribit, *heic significare quoddam scri-
ptionis genus, cujusmodi sunt adversaria, ad sublevandam
memoriam ejus, qui rem quam piam cupit habere semper in
memoria, tanquam a commonendo, Ipse Vincentius men-
tem*

tem suam satis expressit in præfatione libelli, ubi ait, *se sublevandæ recordationis, vel potius oblivionis sue gratia commonitorium sibi met parasse.* Scopus autem libri est, ostendere arma adversus hæreses, videlicet S. Scripturam canonicam, & Ecclesiæ catholicæ omnium seculorum consensum: ita enim cap. i. scribit: *Qui in fide recta vult permanere integer atque sanus, munire eam duobus modis debet (1.) divina legis autoritate, (2.) Ecclesiæ Catholica traditione.* Cujus rationem statim subjungit c. 2. *Quia,* inquit, *Scripturam S. pro ipsa sua altitudine non uno eodemq; sensu universi accipiunt; sed ejusdem eloquentia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur; ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Phorinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Appollinaris, Priscillianus, aliter Jovianus, Pelagius, Cælestinus, aliter postremo Nestorius. Et idcirco dicit, multum necesse esse propter tantos tam varii erroris anfractus, ut prophetica & apostolica interpretationis lineæ secundum Ecclesiastici & catholici sensus normam dirigatur.*

§. III.

Hunc Vincencium Lerinensem Papistæ imitati sunt, & duo constituere fidei Christianæ principia; Unum scilicet verbum Dei scriptum; alterum verbum Dei non scriptum aut traditionem Ecclesiæ, quam pari cum Scripturæ pietatis affectu esse recipendam docet *Concilium Tridentinum* sess. IV. decreto de *Canone Scripturæ*. *Becanus* lib. 1. *Man.* cap. 2. statuit Ecclesiam Vet. Test. habuisse præter verbum Dei scriptum traditiones, Christi & Apostolo-

stolorum voce traditas, & per continuam successionem in Ecclesia conservatas. confer. Bellarm. lib. IV. de *verbo Dei non scripto* c. 2. distinguit traditiones divinas ab Apostolicis. Illas dicit, quæ acceptæ sunt à Christo Apostolos docente, & nusquam in divinis literis inveniuntur. Has, quæ ab Apostolis institutæ sunt, non tamen sine assistentia Spiritus Sancti & nihilominus non extant scriptæ in eorum epistolis. confer. lib. II. de Christo. c. 2.

§. IV.

Ut igitur quid in quæstionem veniat, rectè sciatur; *Status*
 (I.) Non quæritur de traditione in sensu Patrum, qui *Contro-*
 bus quandoque S. Scriptura & traditio perinde dicta fu- *versa.*
 it. (II) Neque negamus, dari traditiones in Ecclesia N. T. quæ nonnullis Autoribus Ecclesiasticæ dicuntur, præfertim de ritibus & disciplina Ecclesiastica, quæ si verbo Dei non adversentur & ad ædificationem Ecclesiæ faciunt, servandæ sunt, pro libertate tamen Ecclesiæ. (III.) Nec illas negamus, quas Apostoli olim instituere & Ecclesiis tradidere, de rebus sua natura indifferentibus. (IV.) Non quæritur: An sit principium & norma sub certo respectu & quibusdam quasi limitibus. e. gr. confessiones, doctrinæ corpora, utpote A. Confessio & cæteri libri symbolici sunt norma & regula, non simpliciter, sed sub certo respectu. vid. Quensted. *supra* l. c. p. 46. in fine. (V.) Non quæritur; An consensus Patrum præbeat argumentum probabile & secundarium ad destruendas hæreses? id non inficiamur. Quemadmodum aliàs in argumentis ab autoritate humana desumptis, magnam merentur fidem, quæ nituntur consensu omnium hominum, quippe cui moraliter repugnat subesse falsum; ita argumen-

ra à Consensu Patrum desumpta maiorem merentur fidem.
 Qui etsi homines & ea propter laberrandi periculo non
 imunes extiterint, tamen cum viva vera Ecclesiae membra
 fuerint, per divinas promissiones fieri non potuit, ut omnes
 in tradenda christiana fide fallerent aut fallerentur. De-
 nique VI. nulla lis est de hoc: An Ecclesiae universae in-
 de ab Apostolorum temporibus minimum ad V. usque
 seculum consentiens testimonium si haberi possit, certo
 & infallibiliter verum sit: Quod de antiqua non solum sed
 & hodierna asseritur Ecclesiae, vigore promissionum in
 S. Scriptura Ecclesiae factarum, quas utraque habet
 & vetus & hodierna; ut quando Christus dicit, *porta in-
 ferorū* (ad quas etiam pertinent haereses) *non praevalent,*
 Mat. XVI. 18. confer 1. Tim. III. 16. ubi Ecclesia *firmamen-
 tum & columna veritatis* dicitur. Haec & similes promissio-
 nes non restrictae sunt ad certum locum & tempus; si-
 quidem Christus non per V. secula sed per omnes seculo-
 rum tractus usque ad omnium seculorum finem se suo
 Spiritu assecurum promisit. Unde & suo modo hoc fi-
 dei principium statui posset. Quicquid enim hodiernum
 Ecclesia Catholica unanimiter docet in doctrina funda-
 mentali, id ipsum est credendum. v. gr. in toto christia-
 no orbe, ab ortu usque in occasum, à Septentrione usque
 in meridiem, nulla est Ecclesia, nec Lutherana, nec Re-
 formata, nec Pontificia, nec Graeca, quae non statuat
 Christum esse verum & essentialem Deum cum Patre &
 Spiritu S. adorandum, exceptò Serveto, paucisque ejus
 consortibus in Polonia, Lituania, & Transsylvania sparsis.
 Itaque dogma Serveti, quod à Catholica Ecclesia dis-
 sonum, & erroneum est. Econtra hinc tale quasi prin-
 cipium fluit: *Quicquid vera & particularis Ecclesia seor-
 sim*

sim docet ab omnibus ceteris dissonum, hoc ipsum erroris est suspectum. Jam e. gr. sola Rom. Ecclesia Pontifici infallibilitatem & supremum orbis dominium adserit; cui contradicunt Ecclesie Græcæ & reliquæ occidentales omnes. Ergo hoc dogma valde est ruinosum & de errore suspectum. Ejusmodi dogma quoque est communio sub una specie, quod non habet ulla Ecclesia in toto terrarum orbe præter Romanam. Similiter eodem modo *Anabaptista* stringuntur. Negant hi infantes baptismi capaces esse, sed in contrarium est totius hodiernæ Ecclesie praxis, de qua Megalander noster Lutherus tom. 2. epist. ad Philipp. Melancht. *singulari miraculo factum est, quod unus hic articulus de Pædobaptismo sive de pueris baptizandis ne ab ullo quidem hæretico fuerit negatus. Totius enim orbis Christiiani confessio est adhuc constans; infantes esse baptizandos.* Huc accedit, quod *Augustinus sapienter effatur: disputare contra id, quod universa facit Ecclesia, insolentissima infamia est.* Hæc hæc hactenus in transitu. Fixum itaque immotumque manet, quod Ecclesie universæ testimonium, si haberi possit, certo & infallibiliter verum sit. Videtis Vener. Th. B. *Joh. Musai tract. de S. Scriptura, quæst. 4. p. m. 333.*

§. V.

Verum hoc unicè cum Adversariis in controversiam venit: *An, quod Patres in suis, quæ supersunt scriptis consentienter tradunt, ex apostolica traditione, sive ex quodam Dei verbo non scripto, profectum sit, & hinc certitudinem habeat infallibilem, atq. adeo sit principium credendorum æque certum atque ipsum Dei verbum scriptum?*

Quod

Contro-
versie mo-
mentum.

4

Quod Pontificii asserunt, Nostrates verò negant suamque negativam sententiam sequentibus argumentis muniunt.

§. VI.

*duobus
firmatur
argumentis.
primum*

Ubi nullum in antiquitate Ecclesiastica apparet vestigium traditionis Apostolicæ defensu Scripturæ vero Ecclesiæ ejusque Doctoribus concreditæ; ibi nec ulla unquam existit talis traditio Apostolica. Jam vero nullum in antiquitate Ecclesiastica apparet vestigium traditionis Apostolicæ &c. Ergo Major est evidens. Minor tam diu stat vera & firma, donec ab Adversariis contrarium monstratur, quod vero hætenus ipsis factu impossibile fuit.

§. VII.

secundum

Si Patres sensum Scripturæ acceperunt ab Apostolis, *vel acceperunt eum vel implicitè, cum verbis S. Scripturæ, ut accipientes ab Apostolis verbum Dei scriptum, porò mediantibus verbis etiam acceperint ejus sensum verum: vel acceperunt eum per peculiarem à verbo Dei scripto distinctam traditionem. Si prius, nihil causæ est, cur certitudinem traditionis Ecclesiasticæ referant in traditionem Apostolicam, cum, juxta hanc quidem sententiam, Patres Veteres Scripturæ sensum, prinde ut nos, ex verbis illorumque vi & indole significandi acceperint, & quemadmodum Patres singuli in eruendo ex verbis Scripturæ sensu errare potuerunt; ita nec illorum consensus in eruendo verborum sensu simpliciter infallibilis est, quamvis vero simile sit, eos, cum non essent falsis opinionibus præoccupati, accepisse Scripturarum verba absque*

absque detorsione, eo sensu, quo naturaliter legentis intellectus pro ratione contextus supra ea fertur, & quem verba in suo contextu spectata legentis intellectui ingerunt, tam consentienter Scripturam explicantes non errasse. *Sim posterius*, redit, quod diximus, hujus traditionis Apostolicæ de sensu Scripturæ, quæ ab ipsis Scripturis distincta sit, nullum in antiquitate Ecclesiastica vestigium extare; quæ proinde jure merito habetur pro commento. Et posito, non vero concessio, dari ullas de rebus creditu factuve necessariis revelationes dogmatum, præter has, quæ in Scripturis canonicis V. & N. Testamenti continentur, eæ tamen munus principii cognoscendi in Theologia obire non possent. Ut enim revelatio divina principii cognoscendi munus obire possit, requiritur, ut immediatè à veritate prima dependeat, eaque Spiritu S. inspirante vel voce proponatur, vel olim in literas relata fuerit, & iisdem comprehensa etiamnum extet: alias enim auctoritatem & certitudinem divinam non obtinebit. Nam modus proponendi revelationes divinas per notitiam, studio humano acquisitam, extra erroris periculum non est: cum nostra opera & studium, quod in iis cum addiscendis & conservandis, tum docendis & propagandis collocamus, falli & fallere possit. Viri *θεορευσοι* autem, qui eas ex immediata inspiratione Spiritus Sancti proponant & incorrupte ad posteritatem transmittant, inde à sedecim seculis in Ecclesia defecerunt. Neque est, quod Pontificii obtendant, divinas revelationes non scriptas proponi & transmitti ad posteritatem per Ecclesiam æquè infallibilem, atque per viros *θεορευσοι*: cum Ecclesia sit columna & stabilimentum veritatis I. Tim. III. 15. & habeat promissionem, quod

D

portæ

4

portæ interiorum ei non sint prævalituræ Matth. XVI. 18. Hoc enim verum est de Ecclesia, in quantum superstructa est super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, angulari lapide existente Jesu Christo, Ephes. II. 19. quæ proinde columna est & stabilimentum veritatis, vi Scripturæ Prophetiæ & Apostolicæ, cui superstructa est, atque adeo in iis proponendis & propagandis revelationibus, quæ in Scripturis Prophetiis & Apostolicis invenitur, infallibilis sicque columna & stabilimentum veritatis est. Plura argumenta quæ magno numero extant apud alios, præsertim Quenstedt in Syst. Th. & Musæum in Colleg. Controv. Disp. VI. quæst. 2. p. 60. sponte prætereo. Cæterum quod ad *Vincentium Lirinensem* attinet, speciatim, ejus auctoritatem hinc nullam, & regulam ab eo positam, stolidam esse, dudum docti ostenderunt, nec approbarunt eam veteres, sed potius rejecerunt, cum propter Sectam, quia ex Massiliensibus Pelagianis fuit, & vitium affectus, quo erga *Augustinum* flagavit, tum propter ἀκαταληξίαν, qua laborabat ejus regula in definiendo subjecto & prædicato, propter defectum possibilitatis in subjecto & objecto, finis denique & utilitatis solidæ, prout *D. Hulsemannus* ostendit prolixè & accurate Prælect. in Form. Concord. Artic. XVI. S. VI. p. 876. f. & in *Patrologia* sive Appendice pag. 1073. f.

QUÆSTIO.

§. I.

Quod superest, data hac occasione non possum non tangere controversiam inter Theologos nostros agitatam, licet vix decere videatur meam ætatem, ut vel eam enarrem, vel arbitrium me interponere audeam.

Quæritur:

Num

Num consensus Patrum quinesecularis
possit vel debeat dici S. S. Theologiae
Principium cognoscendi secundarium?

HÆC alias inter controversias, quæ inter Theologos
Helmstadiensis & Lipsiensis, Wittenberg. aliasque
Academias A. C. sunt agitatae, fuit fere prima, & aded
fervide tractata, ut vix ac ne vix quidem schisma caveri
potuerit: Nam *priores* ob hujus quæstionis assertionem
Novatores audiverunt, *posteriores* verò ob fortem
ejus negationem se *veros* Lutheranos Theologos voca-
runt. Tantæ contentionis originem saltim indagare, e-
jusque dein fidem tentare vel optare potius, quam scintil-
lulas sub cinere quasi hætenus latentes excitare, mihi for-
te licebit.

S. II.

Quod igitur infelicem litis inter tot tantosque The-
ologos originem spectat, ejus hæc occasio fuit. D. *Georgius*
Calixtus Professor sub initium seculi proxime lapsi Helm-
stadiensis, Vir inter eruditos sui seculi non ultimus, Com-
monitorium *Vincentii Lirinensis*, cujus supra mentio fa-
cta, cum *Augustini* libellis *de doctrina Christiana* typis im-
primi fecerat, & prææmio adornatū studiosis Theologiae
commendandum censuerat. Quæ res primum omni-
um *Barthold. Nihusum*, in Belgio tum temporis sacrifi-
culum, ægrè admodum habuit, præsertim cum *Calixtus*
illius *Artem novam*, novamque methodum agendi con-
tra hæreses nostri ævi proscriberet. Unde B. Calixtum
variis convitiis petiit. Videtis Calixti digress. p. 126.

Wachanderey ist es / daß ihz Vincentium wider uns habe trus

4

entlassen etc. Sed Calixtus hunc Nihusium ex testimoniis S. Scripturæ, nec non antiquitatis Ecclesiasticæ, juxta Vincentii commonitorium, solidè refutavit. Septimo post anno MDCXXXVIII. Pastor aliquis Hannoveranus *M. Statius Buscherus* in Theologos Helmstadienses, edito libellò sub titulo: *Crypto-Papismus nova Theologia Helmst.* insurrexit, in quo dictos Theologos, quod in confutandis hæresibus secundum Vincentii Lirin. morem non ad solam Scripturam, utpote unicam fidei notam, sed & ad prisce Ecclesiæ traditionem se reciperent, erroris papalis arguit, quem in Calixti Epitome Theol. mor. Digressione de arte nova, Proæmio in Vincen. Lirin. & aliquibus illius & *Conradi Horneji* disputationibus se invenisse significat, & à corpore doctrinæ Julio, quod se observaturos jurassent, eos discedere dixit. Anno autem MDCXLI. uterque *D. Calixtus* & *D. Hornejus* scriptum Apologeticum Anti-Buscherianum publicant, cujus inscriptio hæc erat: *Gründliche Widerlegung eines unwahrhafften Gedichtes etc.* in quo objectos sibi aliisque errores diluere studebant. Sed cum morte præmatura *M. Statii Buscheri* controversia hæc sensim defervescebat, & aliæ interim controversiæ Helmstadiensibus intendebantur, videlicet *de necessitate B. O.* cum *Hornejus* aliqua in Disput. anno MDCXLI habita *de nova justificatorum vita*, & *Calixtus* in digress. de arte nova statuisent, quod *Bona opera sint ad salutem necessaria.* Anno MDCXLVIII. occasione cujusdam Disput. à *Latermanno de Gratia & lib. Arbitrio* habitæ, hæc controversia *de principio Theol. cognoscendi secundario* recruduit, & Helmstadiensium scripta à Lipsiensibus, Wittenberg. Jenens. &c. virgula censoriâ castigata fuerunt & accusata, quod in Remp. Chri-

Christianam novitates Form. Concordiæ, Corpori doct. Julio, ac Catechsi adversas inveherent. Cujus reprehensionis impatiens *Calixtus* talia in Epist. ad Wittenb. reposuit verba: *Ut brevibus totum negotium absolvam, dico & pronuncio, si quis, sive doctus aut indoctus, sive Clericus aut Laicus, sive nobilis aut plebejus, asserat, & vulget, me Catechismo per universas Ecclesias Augustanam Confessionem amplexas recepto, non obscure contravenire, aut fundamenta aut bases doctrina Evangelica labefactare, eum, inquam affirmo nequiter & flagitiose calumniari & mentiri.* Quæ cum multis nimis dura viderentur, contra Calixtum & Calixtinianos insurrexere, Wittenbergæ D. Calovius, D. Scharffius, Lipsiæ D. Hulsemannus, Argentorati D. Dorscheus, Dresdæ D. Wellerus, alibique alii, qui publicè & privatim in cathedris & sacris suggestibus voce & scriptis eos confutârunt. Quod funestum certamen diu inter Nostrates duravit, imò adhuc, remissiori tamèn modo, durat, quia in Systematibus locum habent suum hæ controversiæ, ut satis constat.

§. III.

Controversia verò ipsa multis argumentis utrinque & oppugnata & defensa est, è quorum numeris quædam duntaxat hic referam, & quidem tali ordine, ut primum quidem Wittenbergenfium aliorumque objectiones ponam, deinde vero etiam Helmstadiensium Responsiones subjungam.

I. Argumentum à parte Wittenberg. continet gravem aeculationem magni criminis in S. Scripturam commissi, quod in forma fortassis tale esset:

D 3

Quæ-

Quæcunque assertio in Deum ejusque verbum impiam vibrat manum, & cum manifesta injuria S. Scripturæ est conjuncta; illa ex nostra Orthod. Ecclesia est exterminanda.

Atqui hæc assertio Helmstadiensium Theol. consensum scil. Patrum quinque secularem esse principium Theologiæ fideique Christianæ secundarium, est talis. Ergo.

Minor sic probabitur: quoniam illa sententia, quæ S. Scripturæ aliud à latere adjungit principium, eam non amplius unicum, perfectum & adæquatum fidei nostræ principium esse sinit, ejusque auctoritatem, perfectionem, sanctitatem &c. maxime diminuit & lædit.

Huic argumento Helmstadienses sequenti obviam iverunt responso; Distinguendo inter principium cognoscendi Theologiæ primarium & secundarium: cujus distinctionis fundamentum inde probare contendebant. Quemadmodum, ajebant, Johannes XII. Apostolos vocavit XII. fundamenta Ecclesiæ, Apoc. XXI. 14. *Et murus urbis habebat fundamenta duodecim, in quibus erant duodecim nomina Apostolorum Agni*, cum tamen Christus Jesus unicum Ecclesiæ fundamentum sit 1. Cor III. v. 11. & per illud Christo nihil derogatur, si constituatur, ipsa Scriptura S. duce, duplex Ecclesiæ fundamentum, *primarium aliud*, quod ex se solidum est, veluti rupes aut petra, in qua ædificium constructum est, & hujus instar est Christus; *aliud secundarium*, quod non ex se, sed ex alio fundamento soliditatem habet, ut lapides, qui immediate super petram ponuntur, & hoc modo Apostoli Ecclesiæ sunt fundamenta: Ita quoque nihil obstabit, si unico Theo-

Theologiæ principio & normæ S. Scripturæ adponatur, aliud adhuc principium, scil. secundarium, ei subordinatum.

§. IV.

II. Argumentum à defectu hujus prisæ Ecclesiæ consensus, in forma sic audiret:

Si Consensus Ecclesiæ Vet. nec ex Scriptis fidelium Veterum, nec ex Conciliis Oecumenicis haberi potest, sequitur, quod nec ipse Theologiæ principium esse possit.

Atqui prius est, &c. Ergo & posterius. Prius probatur (I.), quod non ex Veterum fidel. scriptis doceri possit consensus; quia non omnes Dd. fidem suam publicis scriptis contestati sunt; nec Laici, qui tamen majorem Ecclesiæ partem constituunt, & per voces, cum jam dudum in cineres & favillas resoluti sint, nec per libros, cum indocti fuerint, & ad libros condendos plane inidonei, de sua fide nos edocere possint. (II.) Neque ex Conciliis Oecum. ostendi potest; quoniam nullum concilium universam Ecclesiam perfectè repræsentare quivit.

§. V.

Adversus hæc Helmstadienses sic defendere suam sententiam ausi sunt: Consensum Laicorum præstolari, impossibile esse, nec tamen aliud Apostolos docuisse, aliud fideles credidisse, sive aliam fidem Doctorum fuisse, aliam rudiorum, v. gr. in prima Ecclesia Clemens Romæ docuit, Ignatius Antiochiæ, Polycarpus Smirnæ, Irenæus Lugduni in Gallia; quis autem, nisi stolidus, existimet, aliud Dd. illos in Ecclesiis suis docuisse, aliud Ecclesias
 ipsas

ipsas statuiffe? Et si hoc modo Consensus omnium ac singulorum individuorum inquirendus esset & ostiatim sad fidem colligendam circumeundum, v. gr. quid credat Petrus, quid Johannes, quid Maria &c. quid vir, quid uxor, quid filius & filia, servus & ancilla &c. vix ullius particularis multo minus totius universalis Ecclesiæ consensus haberi potest. Ad consensum igitur Vet. Eccl. habendū sufficit, inquit, scripta Dd. in numero habere. (II) Quod ad alterum de Conciliis attinet, falsum esse, ajunt, de ipso quidem Concilio Niceno, quod præ reliquis velut inter ignes Luna minores emicat; etsi enim, teste *Ensebio*, ex omnibus Ecclesiis Europæis, Africanis & Asiaticis præcipui quique Doctores Niceæ convenerint; non tamen esse verisimile, 318. illos Patres repræsentasse totam Ecclesiam, ita ut nullius Ecclesiæ in toto orbe consensus desiderari potuerit; sed eo non obstante, ex Oecumen. Synodis doctrinam totius Ecclesiæ rectè æstimari dicunt, quia finitis conciliis Ecclesiæ, omnes particulares, tardius aliæ, aliæ citius in Symbola illa & acta conciliaria consenserint. Ita Synodum Milevitanam contra Pelagianos & Arausicanam contra Semi-Pelagianos, coactam, fuisse quidem Synodos particulares vel provinciales, sed & ex his, licet universam Ecclesiam nullo modo repræsentarint, doctrinam tamen V. E. de gratia Dei & Libero Arbit. æstimari posse, quia duabus illis Synodis tota postmodum Ecclesia subscripserit.

§. VI.

III. *Argumentum Witteberg.* & aliorum Anti-Syncretistarum hoc est: Omne principium est prius, si non tempore, saltem naturâ, principatô. Atqui Consensus

fus V. E. non est prior Theologia & fide Christiana. Ergo. Major est evidens ex ratione. Minor probatur, quia Theologia & fides Christiana in sacris literis jam erat fundatissima, antequam consensus ille Patrum Orthodoxorum & Martyrum candidatus ille exercitus extaret.

Adversus hoc Helmstadienses tali modo se defendere conabantur; (1.) Majoris universalitatem inficiando & instando: Pater in divinis est principium & Filius principatum, nec tamen sequitur, Patrem esse vel tempore vel natura Filio priorem. (2.) & confundi principia constitutiva, à quibus res in esse suo vel in fieri dependet, cum principiis cognoscendi. Jam si fiat argumentum: O. principium essendi vel constit. est vel natura vel tempore prius suo principiato. Consensus V. E. neutro modo est prior Theologia &c. Ergo nec principium essendi est. Concesserunt totum; cum impium sit Ecclesiae jus condendi novos fidei articulos vel constituendi attribuire. Sicut enim in civili Republ. leges condere penes Summum est Magistratum; ita in hac Ecclesiastica Hierarchia leges ferre uni Christo competit. At si de cognoscendi principio sermo sit, disparem esse rationem. Neque enim necesse esse, ut principia cognoscendi sua principata, sive temporis sive naturæ prioritate antecedant; sicut fumus sit principium, è quo cognoscimus ignem; fumus tamen nec tempore, nec natura prior sit igne. Ignem enim in pleno suo esse constitui oportere, antequam fumus inde ascendat. Item ut Creaturæ sint, principium, è quo cognoscimus Deum, veluti solem in aquis per reflexionem; creaturas tamen non ideo esse priores Deo, nec tempore, nec natura. Itaque in cognoscen-

diderat, eoque modo Helmstadienses criminis arguerat,
**der Kirchen-Sagung und Menschen Gesetz ist / darauff die
 Helmstädter ihren Glauben gründen.** Hi verò se excusan-
 tes protestantur inversum controversiæ statum: *Tradere,*
 inquit h. l. *non est aliquid constituere in fide, sed vel in
 alterius sinum aut manum dare, sive docere.* Et *traditio-*
nem Ecclesiæ, quam *Vincentius* fidei principium consti-
 tuit, idem esse ac Ecclesiæ testimonium & consensum,
 quo eadem illa, quæ in sacris proponuntur, comprobentur.
 Ita *Irenæus*, antiquissimus post Apostolorum tem-
 pora Scriptor, fidem Symbolo Apostolico comprehen-
 sam vocat aliquam traditionem. Et sic multum per se-
 pe de voce dimicatur, ubi de re nullum est dissidium.

II. Altera cura in componendis religionis dissi-
 diis debet esse de momento quæstionis controversæ, sitne
 ea quæstio fidei? an circa fidem? an denique fidem pla-
 ne non attingat? Non enim omnes quæstiones Theolo-
 gicæ ejusdem sunt generis: sed inveniuntur multæ, sem-
 perque inventæ sunt, de quibus salva cum unitate fidei,
 tum charitate dissensiones in Ecclesiæ, etiam inter sin-
 ceros & minimè suspectos Doctores, extiterè, & qui
 nulla in quæstione dissentientem ferre velit, is vel
τῆς διαβολῆς laborabit, & momenta rerum ac quæstio-
 num expendere & dignoscere non poterit, vel infallibi-
 litatem in enodandis quæstionibus controversis aut do-
 minatum in alios Theologos omnes temerario ausu fa-
 ctive Papali sibi arrogabit, & schisma pariet. Scite no-
 ster *Gerhardus* Tom. V. Loc. de Ecclesiæ p. 1095. edit. in
 4to. Distinguendum inter UNITATEM ABSO-
 LUTAM, PERFECTAM & dissensionis omnis ex-
 pertem, quæ in Ecclesiæ triumphante demum habebit

4

locum, & inter UNITATEM FUNDAMENTALEM, quæ in
 consensione principalium articulorum consistit, licet de nonnul-
 lis fidei capitibus minus principalibus, vel de ceremoniis, adia-
 phoris, vel etiam de interpretatione quorundam Scripturæ lo-
 corum controversiæ incidant. Ac talis est illa unitas, quæ in Ec-
 clesia militante locum habet. In ea enim nunquam reperitur
 tanta concordia, quin dissensionibus quibusdam sit permixta.
 Est autem extra controversiam, quod ob dissensum in quæstio-
 nibus, ad fidem non pertinentibus, scandalosas lites excitare,
 Ecclesiæ pacem turbare & unitatem scindere non liceat. Cùm
 verò quæstiones litem hanc præsentem concernentes fundamen-
 tum fidei non incurrant, sed in charitatis leges hi duntaxat im-
 pingant, qui affirmativam illis falso tribuunt, quod *Musæus*
 accuratiss. Theol. c. l. p. 375. §. XXXVIII, luculenter monstravit.
 Itaque eò magis optandum est, ut hoc dissidium componatur, quo
 minus fidei nostræ orth. fundamentum concernit. Huc non in-
 congrue adducere forte possum verba facundissimi Ethnici Ciceroni:
 Ad pacem hortari non desino, quæ vel injusta utilior est, quam
 iustissimum bellum. Salvator noster beatos pronunciat *εἰρηνοποιεῖς*,
 Matth. V. 9. Paulus commendat τὸ ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ καὶ εἰρήνῃ,
 Rom. XII. 18, Eph. IV. 15. Ebr. XII. 14.

Faxit ergo Deus Pacis & Charitatis, ut omnes unanimis se-
 cundum suum præceptum & sanctissimum beneplacitum ac ver-
 bum veritatis infallibile, quod vis inutile dissidium fugiamus, &
 ubi ubi possibile, quantumque in nobis est, omni-
 bus cum hominibus pacem habeamus!

Amen.

S. D. G.

*Est præfens, CREVZER, tua disceptatio tota,
 Præsidiumque meum; sic tibi solus honor.*

Gr. f.

PRÆSES.

1. Chemnitius de S. Coena
2. Fechtius de sacrificio Misae
3. Gaffius de S. Coena.
4. Werenndorf de S. Coena.
5. ~~Id.~~ de S. Coena.
6. ~~Id.~~ de S. Coena.
7. Werenfels de S. Coena.
8. Schmidius de Oblatis Eucharisticis.
9. Werner de iure excludendi à S. Coena.
10. Lritius de Pelagianismo.
11. Holzfus de quatuor Novissimis.
12. Gerharde de Appellatione ad Supremum Iudicem.
13. Graun de Statu animae hum: post mortem.
14. Clausing de controversia Nestorianismi.
15. Götzi disquisitio num muribundus et.
16. Mosheim de Felicitate Coelstiae.
17. Sontag Neutralitas Religionum.
18. Scherzerus de peccato in Spir: S.
19. Lorius de Praedestinatione rerum hum:
20. Werenndorf de absoluto Decreto.
21. Löscher de Larosismo abs. Decreto.
22. Dithmar de Concubinato à Xto prohibito.

Wernsdorff de Polygamia.

Hulsius de turpitudine incestae

Clacofeni animadversiones.

Zudeus de poena damnatorum officienda.

Wolle de Interitu mundi.

Heltthemius de Iustificatione.

Mieg de pariete intergerino.

Mosheim de tribus in terra testibz.

Heidenus de Mosi resuscitacoe.

Neubauer de Corpore Mosi.

Neubauer de Michaeli Archangelo.

Neubauer de Michaeli Archangelo.

Alfius de Evangelio.

monis de ratione

ollius de Theologia.

ampe de Inspiratione et

rimesijs de Canonibus Apostolorum.

ajus de unico S.P. principio.

Alfius de S.P.

gsta Dissertacoe de fundamentis Revelacoeis

man de Divinitate Spiritus



